

2. und 3. Heft 3. Kritik des 2. 2

SENATVS DEORVM

De
PRÆSENTIBUS AF-
FLICTISSIMAE ET PERI-
clitantis

GERMANIÆ

Miseriis, & reducendâ pace,



Hi lusus seria ducunt.

A. C. cIo. Io. C. XXVI.

Hist. Germ.

C. 533, 24.

Hist. Germ. Supp. C. 310 Vol

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs across the page.



S. P.

VIDETE, AUDITE, FRATRES
 mei, quæ nec vidi ipsemet, nec audiui: I-
 mò quæ vidi, quæ audiui, cum nec oculis
 uterer nec auribus. Ænigmata loquor.
 Oedipus ero, rem omnem vobis explica-
 bo. Somniū adfero, quod nescio an dor-
 miens viderim, an vigilans somniaverim: sive tamen vi-
 derim dormiens, sive vigilans somniaverim; vos oculis,
 auribus, animo adeste. Habebitis quod, non informet
 dico, sed leviter miserrimi Germaniæ status moneat.

*Tempus erat, quo prima quies mortalibus agris
 Incipit, & dono Divum gratissima serpit.*

*Virgil. lib. 2
 Æneid.*

Cum miseriam temporum mecum meditarer, & cervi-
 cibus etiam nostris, nī fatorum summus Arbiter avertat,
 impendens fatum: E bellis bella feri, tumultum ex tu-
 multu, tacitā mecum querelā muginabar: Jam proxi-
 mum arsisse Ucalegontem, jam nostram rem agi: In hac
 bellorum civilium intemperie scelera omnia impunita:
 Bonos mores decumbere ad mortem, & dum illi ægro-
 tant, vitia, tanquam herbam irriguam, succrevisse uber-
 rimè. Inter hæc sensim nec sentienti somnus obrepere
 & suaviter dispergere papaver suum: Cubitum itaq; eo,
 inquieto animo quietem capturus, & fessum vigiliis cor-
 pus somno refecturus. Sed ô sine quiete quietem! Nec
 enim hanc usquequaq; sine labore mortales habemus:
 curarum & nugarum reliquiæ, die exantlato, lectulum

*Plaut. in
 Trin. a. 1.
 sc. 1.*

*Eryc. Pu-
 ean. in Ce-
 mo.*

unâ scandunt, & membra sopore irrigata vel terrore,
lancinant, vel gaudio demulcent.

Jam primo noctis concubio altior me somnus op-
presserat cum Noctis nescio alâ an Pegasi, cui

Cælum pro terra, pro pede penna fuit.

Ovid. lib. 3.
Fastor.

sublatum & immensos per aëris tractus vectum, in sum-
mo cœlo, Deorum sede, media inter astra stitit.

Virgil lib. 2.
& 3. Æneid.
Cœlum.

Obstupui, steteruntq; coma & vox faucibus hæsit.

Nam si terram subtus contemplerer, totum hoc quan-
tumcunq; est, vix punctuli instar videbatur. Et ô mise-
ros vos mortales! cogitabam. Egregios Moriaë sacerdo-
tes! qui ob exiguam istius particulam digladiamini,
omne fas nefasq; miscetis, & dum caduca ista sectami-
ni, æternorum bonorum facitis jacturam. Si terras spe-
ctetis, multum sanè profecisse vobis videmini: Si tabu-
lam aliquam Geographicam, parum: Si cœli immensam
molem, nihil. Jam si â terrâ subductis oculis ipsa astra in-
tuerer: erat quod terrore, erat quod delectatione affi-
ceret. Nam ut summæ pulcritudines ac splendores non
parum gaudii afferebant: sic monstrosæ formæ non pa-
rum metus incutiebant: Inter quas istæ, quas Sol quo-
tannis decurrit, facile principes erant. Hinc lascivis A-
ries cornibus impetebat: Hinc flammantibus Taurus o-
culis minabatur: Mox Gemelli inter se sine noxâ lusita-
bant: iterum â terribili Leonis rugitu & pando rictu fu-
gentem, amabili Virgo amplexu excipiebat. Quid plu-
ra memorem? Scorpionum cum inter alia vidi,

Zodiacus:

Ovid. lib. 4.
Fastor.

Qui oblique metuendus acumine cauda:

Ubi octipedem Cancrum, brachia sua per ingentia cœli
spatia extendentem, totus in sudorem pavore solutus
fui, &

Virgil. lib. 6
Æneid.

gelidus per dura cucurrit.

Ossa tremor.

Nec

Nec miratus amplius aut indignatus sum, quod Phaethon hisce visis inopinã formidine lora remisit, exitiumq; non sibi modo, sed toti, parum abfuit, orbi accersierit. Dum in his totus sum, ac lentis paulatim vestigiis aberro: in splendidissimo colore elucentem quidẽ, at si cum magno Zodiaco compares, exilem circulum tandem incido.

Via lactea

*Est via sublimis, cœlo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso,
Hac iter est superis ad magni tecta Tonantis
Regalemq; domum.*

Ovid. lib. 1.
Metam.

Hanc & ipse ingredior, meique itineris ducem capio. Paullum modò processeram, cum ecce in magnificentissimum palatium ducor: quod equidem ut fronte emasculatã ac aditu patefacto introii: ac in angulum, ne à quopiam viderer, secessi, omnem ferè sensum mihi hebetavit, nec levis humanarum rerum contemptus ac fastidium subiit. Quid superbissimas delicias ac incomparabilem magnificentiam dispari verborum conatu referam? Omnem terrenum splendorem in unum collatum, si divinæ huic pompæ conferas, cum opulentissimã Persepoleos regiã, quam Alexander Magnus meretricis svasu exussit, Diogenis dolium conferre videaris. Sint licet pavimenta marmore cæsim deminuto varia emblemata referentia, laquearia laboriosã auri picturã resplendentia: meræ præ hac magnificentia sordes sunt. Describere si lubet, Poëtæ verba non incommoda erunt:

Regia Jovis.

*Regia erat centum sublimibus alta columnis
Clara micante auro, flammãq; imitante pyropo:
Cujus ebur nitidum fastigia summa tenebat:
Argentibifores radiabant limine valvæ,
Materiam superabat opus.*

Ovid. lib. 2
Metam.

A 3

Sec

Solium
Jovis.

Germa-
nia lugēs

Sed & materiam & opus totamq; hanc magnificentiam splendidissimus, quem offendebam, superabat confessus. In ipso palatii meditullio, loco eminentiori thronū per gradus aliquot elevatum summus occupabat Jupiter. Caput auro & pretiosissimis gemmis flammans corona circumdabat: vestis purpura erat lucissidimis hinc inde stellulis interstincta, quæ crebras vibrantes stricturas intuentis vitum obfuscabant. Sceptrum tenebat dextrâ, aureum sinistrâ globum, imperii insignia. Humiliori paullo loco summi ac majorum gentium Diilatus utrinque claudebant. Iterum remotius, quos medioximos seu medigrumos vocamus, sedebant: Ima subsellia occupabat ceterorum Deorum ignobilis turba. Hæc ego dum attentius contemplor, & Argus esse opto, ut omnem pompam fidelibus oculis, ne animo excideret, annotare possem: Foris concrepuit, ac levi impulsu apertis valvis fœmina quædam pullo habitu intrat, quam è Deorum, qui proximè erant, susurro, Germaniam, Germaniam esse intelligebam. Et ô Germania, mater mea, quæ huc te fors appulit? suspirabam, sensimquè & lacrymæ suspiria sequebantur. Corporis staturâ erat ingenti, at specie ædepol perquam miserabili: vix ossibus hærebat; vix longo jejunio & infortunio emaciata membra lentis vestigiis trahebat: Multis vulneribus erat confecta, quæ utpote assiduè refricata, nec cicatricem unquam obducentia, sanguinem largiter stillabant: Denique ita misera erat, ut Miseriam ipsam miseram magis esse vix putem. Sed pallidulus quanquam & deformis vultus, in ipsâ tamen calamitate Majestatis aliquid & Gravitatis, ceu flamma sub cineribus caloris, spirabat. Hæc gradum, quantum pote, per mediam Deorum turbam appropinquans ad solium Jovis in genua
silens

silens ac suspirans procubuit, ejusq; pedes largo lacry-
marum imbre perfudit. Recollecto tandem spiritu, au-
dientiam debili murmure postulare videbatur: Cum è
proximis subselliis minitabundo quædam vultu nec sine
fragore surrexit. Dea Nemesis erat, Justitiæ filia, vitio-
rum ac scelerum ultrix de illis imprimis supplicium semens,
qui secundo rerum successu nimiam elati arrogantiâ suâ
aliis fuit intolerabiles. Gestu furibundo alas, quibus omnes,

Ultra Sauromatas fugias licet & glaciale

Oceanum,

assequitur, quætiebat: totoq; habitu Baccham expresse-
rat. Demum factâ Jovi reverentiâ

Talibus illa modis ora indignantia solvit.

Quousq; tandem, Germania, abutere patientiâ nostrâ?
Quamdiu nos simulatio ista tua eludet? Quem ad finem
effroenata sese jactabit audacia? Nihilne te mala præ-
teritorum conscientia, nihil augustissimus hic habendi
Senatus locus, nihil O. M. Jovis omnituens vultus, nihil
Deorum omnium ora moverunt? Patere tua crimina nõ
sentis? Constricta omnium horum conscientiâ scelera
tua nõ vides? Quid superiore tempore flagitiosè egeris,
quot delictis delicta cumulaveris latere quemquam no-
strum arbitraris? Nec jam in conspectum modo pro dire,
sed & omnium horum veniam tibi concedi, petere cõfiden-
ter audes? Non feram: non patiar: nõ finam. Tua quoq;
O. M. Jupiter, Justitia non feret non patietur, non fi-
net. Quæ enim poena satis acerba infligi poterit illi, quæ
non unius criminis rea est, sed omnium seriem in se com-
plexa videtur? Vitiorum sentina, lerna ac liras omnium
malorum. Quid alicubi est gentium, quod illa malitia sua
non æquarit, non longis passibus superarit? Cretenfes
mendaces olim habiti: Perfidi ac dolis consuti Poeni:

Nemesis
contra
Germaniam.

Juven. lib. 1.
sat. 2.

Ovid. lib. 2.
Metam.

Asia

Lips. in præ-
fat. Constat,

Plaut. in Ci-
stell. a. 4. sc. 2

Region d' el
stato,

Aliatici immodicâ pompa, & vestium luxu sumptuosi: Conviviorum ac poculorum studiosi Græci: Levitate adhuc Galli malè audiunt: Veneficiis ac impietate Itali: Fastu nimio Hispani. At velut in navium sentinam coluviones omnium sordium conveniunt: Sic in Germaniæ mores quasi ex toto mundo vitia fluxerunt, nec ulla est improbitas, quæ in eam non redundaverit. Si mendacia quæris! quis felicior cretizat Germano? Si dolos! quis melior personam fingit Germano? Si pompam vestium, si epularum splendorem! quis stultior superbit, luxuriosior græcatur Germano? Germani Gallis leviores: Italis magis impii, insolentiores dudum facti sunt Hispanis. Relligionem eorum si videas! quid credunt Germani, aut quid non credunt? Nulla regio est, quæ non alat nova dogmatum monstra, nec ulla gens feracior relligionum unquam fuit, sterilior pietatis: Ita vivunt, ita credunt, nova appetunt veteribus neglectis, relligione ut vestibus utuntur, tam diu jucundis, quam diu recentibus. Fidem si spectes? Jam dudum prisca illa abiit, excessit, evasit, erupit: Locum ejus occuparunt doli, perfidia, & versutiloquæ malitiæ. Nil solidum Germani crepant: Quod simulant, non sunt, quod non sunt, videri laborant. Intortam habent orationem, involvulum bestiam nequam & damnificam imitantes: Utq; ea pampini foliis se implicat: sic hi involucris & tegumentis dissimulationis. Frontem fingunt, ut animus lateat: simulationem induunt, ut mores commendentur. Felin corde tegunt, in labiorum superficie coloratam dulcedinem præferunt: Ac ceu obiecti exiguâ aquæ resperione scopuli, ignorantibus & incautis naufragia moliuntur. Sinceritati inter sincerationes (ut vocant) locus amplius non est, sed illi pridem successit ratio status. O tempora! O mores!

Juris

Juris erat quondam & recti Germania regnum.

At nunc jus regni regnat ubiq; novum.

De justitia quid dicam? Quæ vere ad cœlum evolavit, apud Germanos non amplius reperienda. Dudum legum refrixit autoritas: Dudum judiciorum mores ad pristinam Æquitatis regulam amussitari defierunt. Phœbus ille orbis frequentissimis injuriarum, crudelitatum, & omnis improbitatis nubibus obductus est: Ut uberri- ma malorum copia, qua inundatam se queritur Germa- nia non aliunde quam hinc depluerit. Sic publicè vivi- tur, nec si privatos contempleris, vitiorum minor est seges. Ubinam prisca majorum, in laneis indumentis ac vestibus singulos propè artus exprimentibus, frugali- tas? Planè deperit illa, nisi ubi adhuc à virtutum alu- mnâ paupertate defenditur. Qui majoris paullo cen- sus sunt, toto orbe luxum colligunt: A Phrygibus, Æ- thiopibus, Indis amictum petunt: auro, gemmis, relu- cere in tenebris gestiunt: Quidquid natura negavit, as- sumunt non defendendo corpori, sed emolliendo: Ve- stis non vestis est, nisi pretiosa. Ubi prisca majorum in victu cibusq; temperantia? Olim Germanis cibus non nisi ex avenâ pultes erant. Nunc quidquid rarum aut difficile paratu saporem duntaxat habet: & hæc deli- cate esuritionis ambitio est, ut non possit nisi pretio- sis cibus sedari. Nec gula modò, sed oculis cœnatur: lon- go ad vanissimam pompam ordine lenocinia mensæ cu- mulantur, non gustanda solum sed spectanda. Ubi ma- jorum in auri splendore contemnendo magnanimitas? Olim argenti aurivè omnis expertes erant, quod tamen quin propitii potius quam irati Dii negaverint, non am- plius dubites. Nunc postquam ejus amor invaluit, quis Euclionum istorum triparcorum numerum ineat, qui

*Lans. in Con-
sult. de
princ. inter
provinc. Eu-
rop p. 803.*

*Putean. in
Como.*

*Plin. lib. 8.
histor. nat.
c. 17.*

*Facit. de
mor. Germ.*

B

quid.

quidquid proborum hominum superest, quorum certe paucillum superest, immani foenore exugunt, ac trucidant? Quis nummibasiorum istorum & nummilegorum, qui occulto nuper furto totum pænè orbem compilarunt? Olim videre erat argentea vasa, non alia in dignatione, quam quæ humo finguntur: Nunc non Sabinis, sed Indicis passim diotis Ebrietati litatur, præ quibus vile etiam est, si Diis placet, aurum. Quin te, O. M. Jupiter, æmulantur, tuiq; immortalis sedem imitari nituntur Germani mortales. Mensa ipsis cœlum. Tot scyphi, pateræ, calices hinc inde sparsi velut radiantes quædam stellæ varias signorum formas constituunt: Errones illi vitrei, argentei, aurei, gemmei planetarum instar sunt, ac convivali ritu in orbem aguntur. Ubi prisca illa, quæ præcipuè laudata quondam fuit, continentia? Evanuit: Nec Germania hodie est, nisi Veneris ac Floræ ergasterium, nequitiae & turpitudinis amphitheatrum: Nulla in eâ urbs, quæ non libidinum Gymnasia habeat, non Messalinarum redivivarum greges foveat, cellis tantum non pretium superscribentiam. Sed ut in his omnibus vitiis, cum aliis gentibus eadem insaniam laborantibus de palma certat Germania: Sic in uno cum seipsâ contendere, seipsam superare videtur. Ebrietatem dico, à qua nec majores immunes fuere, & cui nunc supra modum dediti sunt Germani. Mentem pellunt in convivio quicumque sedent, ne pedes inveniant, cum eundem est: Tolle aut bajulari consverunt, aut titubantem certè gradum è convivio nisi referant, parum lætos ac hilares se fuisse putant. Illam insanam imprimis sanitatem quis non rideat? Imò quis non doleat? Alius salutem propinat, alius vitam, alius fortunam, quisq; cyathissat: Nisi hauriant, & numina & amicos lædunt: Nec

pocu-

Tacit. ibid.
Putean. ibid.

Putean. ibid.

poculo alienæ favere valetudini possunt nisi suam mergant. Taliter vino in lasciviam inertiamq; soluti, omnem virtutum curam pridem abjecerunt Germani. Qui armis quondam strenui, ac ubi ferro agebatur res, fortissimi: nunc strenui sunt, sed vino ferculisque: Fortissimi sunt, sed in bello ubi poculis patinisque cernitur, sed in palestra ubi pro oleo est merum, Herculi que placere student non luctâ, sed pollucto. Sic Ebrietas malitiæ mater, virtutis inimica, fortes antea reddidit ignavos: Ex temperatis fecit lascivos: Justitiam profligavit: Prudentiam exstinxit. Sic quidquid boni fuit quo gloriari posset Germania, gula devoravit: maculavit libido: exhaustit avaritia: fregit perfidia: ebrietas suffocavit: luxuria cum superbiâ exinanivit. Tot tamen tantorumque vitiorum mancipium Germania vivit. Vivit! imò & in conspectum prodire & deprecari audet: Quæ dudum malo fato perire digna fuit: imperium in alios retinere affectat; Quæ ipsam se regere non potuit: à cervicibus suis servitutem precibus amovere conatur: Quæ quod pessimum est servitutis genus, sibi ipsi affectibusq; suis, pessimis Tyrannis, servit: Belli à se flammam amoliri studet, quæ tota libidinibus ardet, quasi Ætæna quædam impudicarum flammaram: Mortem timet ac fugit, quæ vitiis suis jam pridem immortua & sepulta est. Hæc tu audis, Germania, nec moveris, nec colorem mutas, nec exhorrescis? Scilicet ut membrum, quod sacer ignis corripuit, mortuum fit & exsensum, & seu ulleris, seu secueris, nullum edit doloris signum: Sic quia semel animum tibi vitiorum istud virus adussit, etiam si instar ignis, instar ferri orationem applicavero, perinde est, nec sentis, dudum enim emortuum es membrum. Tu vero O. M. Jupiter, abscinde, dele mortuum

hoc membrū, ne in alia contagio etiam pervadat. Quid est quod te in hac Germania delectare amplius possit? Quæ nota turpitudinis nō inusta huic impurissimæ est? Quod vitiorum dedecus non hæret in vita, in famâ? Quæ libido ab oculis, facinus à manibus ejus unquam, quod flagitium à toto corpore abfuit? Quid mali aut sceleris fingi potest, quod non illa impiâ mente conceperit, audaci manu peregerit? Et tu omnia impunita adhucdam reliquisti: lenitudine tuâ extorquere vel ab invitâ emendationem seu sperasti, seu meruisti: At illa hoc ipsum indignata, te esse qui posset ignoscere, qui connivere, spurco vitiorum cœno magis magisque se turpificavit. Ergo lenitati toties delusæ amplius locus non est, salutaris severitas inanem speciem vincat clementiæ: Ergo quod commerita est tandem patiatur Germania & justas scelerum suorum luat pœnas: Ergo pereat, intereat Germania. Ergo nec tu O. M. Jupiter ulla eam miseratione posthac, ullo dignare auxilio.

Finierat Nemesis, nec mediocres, ut puto aculeos in animis audientium reliquerat. Ego vero tam noxium Germaniæ meæ sermonem nullâ patientiâ digerens, infustum numen velut portentum detestabar. Cum post aliquod intervallum Germania paulatim in genua assurgens, sic, si recte memini, debili voce exorsa est.

Tot superincumbentium malorum extremam perpeffa vim & eorum pondere tantum non oppressa, nec jam de pristina majestate, quam tot annos illibatam servavi, nec de imperio, quo hostium meorum colla hucusque pressi, sed vitâ, sed salute anxia ad te recurro, O. M. Jupiter: inter spem metumque media & alterno iudicio ambigens, Patremne salutem an Dominum verear. Sperare jubet tua clemētia, in quâ spes mea & res omnes

siæ:

Germania supplex.

litæ: metuere iustitia & vehementissima ac vera, heu! qua me proscidit Nemesis oratio. Sive Patrem tamen sive Dominum inveniam, ad te venio, cum nullum videam aliud superesse refugium. Quid enim? Amici qui florentem summâ veneratione ac comi cultu observarunt, bellorum turbine everlam ac jacentem, sublimi supercilio fastidiunt, contemnunt. Socii, qui sub meæ protectionis umbone non rato delituerunt periculorum securi, nunc opem ipsorum implorantem, omni consilio, auxilio destituunt. Exteri, qui arma mea vel audita, nedum mota, nedum vita tremuerunt, afflictam ac animam ferè agentem invadunt, obterunt, conculcant. Ipsi, heu! cives mei nefario ausu, ac infando paricidio me Matrem suam & illa quæ ediderunt, quæ aluerunt, diripere non verentur viscera. Quid querat? aut unde in hoc malorum concursu exordiar? An tot bellorum grandine attritas dicam regiones? tot prædonum libidini permissas urbes? tot malè feriatorum militum licentiâ exustos pagos? An tot internecino bello deletos exercitus? Virorum, mulierum, juvenum, seniorum, promiscuam stragem, promiscua supra? Sanguinis rubore tincta flumina, cadaverum foetore deformatos campos, ipsum infectum aërem narrem?

Animus meminisse horret luctuq, refugit.

Etenim urunt hæc animum & enecant magis si pristinæ meæ Majestatis, si Gloriæ & Pulchritudinis recorder. Ego Germania hæc patior, quæ omnium quondam Europæ provinciarum maxima eram: At nunc ab hostibus undiq, circumfufis, & membra mea & laceros artus hinc inde carpentibus in angustum compingor & redigor circulum. Ego Germania hæc patior, quæ florentissima modò ac copiæ cornu mundi; quæ vagina

Virgil. lib. 2.
Æneid.

Thuan. lib.
56. histor.

Lanf. in con-
sult. de
princ. int.
Europ. prov.
p. 99.

Leg. et Fri-
sior. apud
Tacit. lib. 14.
Annal.
Sveton. in
August. c. 23
Virgil. lib. 6.
Æneid.

Tacit. lib. 1.
histor.
Tacit. de
mor. Germ.

Plant. in-
capt. a. 1. sc. 2

gentium & hominum officina audiebam; in qua domos
numerofissimis refertas familiis, urbes pagosve domi-
bus ac palatiis splendidissimis, regiones laudares urbi-
bus plenissimas ac pagis, imò quas perpetuas ac πολυου-
θησας urbes putares esse. Hoc fui. Quid jam sum. Me-
ra vastitas: mera solitudo. Domos videas; at suis ha-
bitatoribus ob militum rabiem destitutas: Mœnia repe-
rias; at civibus suis viduata: Integras ferè provincias,
nec in iis vix ullam amplius urbem integram, sed vix um-
bram urbis, imò ruderibus suis ac cineribus tumulata ca-
davera. Ego Germania hæc patior, quæ foetilisima an-
te, nullos mortalium armis aut fide ante meos esse glo-
riari poteram. Quæ tibi, invictissime Auguste, vel in-
vito extorsit illud: Quinctili Vare, legiones redde, red-
de legiones

*Heu pietas, heu prisca fides, invicta q̄ bello
Dextera,*

Ubi estis? Nunc meorum quosdam animus, alios deficit
fides: Alienis armis, alienis legionibus, non affligor, sed
suppremor, sed pereor. Ego Germania pereor, & Pro-
vinciarum liberrima, ubi & sentire quæ velles, & quæ
sentires dicere licebat, truci servitutis premor jugo: Il-
laq; regno Arfacidis acrior olim Germanorum libertas
animã agit, mox expiratura. Æquus esto Jupiter, vosq;
ceteri Dii summi, medioximi, infimi, quod dum malo-
rum seriem texo, aliquam laudum pristinarum libave-
rim partem. Hæ ipsæ, dum revolveo, cruciant & ad mor-
tem dant: Quæq; habui, nunc demũ intelligo bona, post-
quam levi casu, & uno quasi ictu perditum ivi. A summo
felicitatis culmine in imas præcipitata sum infortunii
abyssos: Post summã fortitudinis ac bellicæ rei gloriam,
vilissimæ imbelliæ extremam subeo infamiam. Libertate

quam

quam jactabā, amissā, inextricabiles servitutis me strin-
gūt laquei. Et quod pejus est, quidquid patior ac perfe-
ro, à me est: Mea est culpa. Florui, vigui Germania, & dū
concors fui invicta fui, nec ullum robustius corpus ho-
mines meminere: Ipsorum Romanorū Orbis domitorū, *Tacit. de*
ducētis decem annis arma sustinui, medio tempore tri- *mor, Germ.*
umphata magis quā victa: Tandem superavi ac imperiū
quod tanto sibi sanguine pepererāt, mihi vindicavi. Sed *Salust. in*
ut concordia parvē res meæ creverāt: sic discordia ma- *bell. Jugurth.*
ximæ nunc dilabuntur: Caput à membris, à capite mem-
bra, membra inter se dissidio ferūtur exitiabili: Sic & ca-
pitis & membrorū auxilio deferta, extraneis cedo in pre-
dam, nec urgentibus imperii fatis prestare hostibus meis
fortuna majus potuit, quam odiū mei. At tu juva, Pater, *Tacit. ibidē.*
ac auream tandem pacem illamq; virginem, quæ dudum

Cede madentes

*Ovid. lib. 1.
Metam.*

Ultima caelestum terras Astraea reliquit,

nobis redde. Vide miserabilem Germaniæ tuæ faciem,
audi querulos, quos effundit, gemitus, ac miserere: Post
defolationem aliquam mihi consolationem presta: Post
exilium, auxilium tuum. Stringe autoritatis tuæ arma:
sanguinolentorum hostium furorem compesce: dissi-
dentes civium animos fidi amoris inter se cōjunge coa-
gulo: illos quibus quies in seditionibus, in pace turbæ
sunt, ceu putida membra abscinde; Tu optimē nosti

Salust.

Et regere imperio, paci q; imponere morem,

Parcere subjectis, & debellare superbos

*Virgil. lib. 6.
Æneid.*

A te si rejiciar,

Heu quæ me tellus quæve æquora possunt

*Virgil. lib. 2.
Æneid.*

Accipere.

Nec illa, quæ Nemesis truci objecit vultu, scelera ani-
mum tuum moveant aut exasperent. Non confiteri ea

qui.

quidem non possum, nec indulgenti tibi Patri nolo. Peccavi, Pater, peccavi, fateor, & hæc labes aliorum contagione me infecit. At tu commissis ignosce. Satis irarum, pœnarū satis, sat multis hostiarum millibus expiata sunt ista piacula. Pro magno delicto paulum supplicii satis est Patri. Insanæ mentis dicebat esse Trajanus, qui lippientem oculum effodere mallet, quam curare: Unguesq; acriores ressecandos esse non avellendos. Tu quoq; istud vitium oculorum meorum & lippitudinem remove, malum omne & mali occasionem rescinde. At mihi interim parce, Pater; parce & miserere. Sic nomini tuo

Virgil. lib. 8.
Æneid.

*Aram læco statuam que maxima semper
Dicetur nobis, & erit que maxima semper.*

Sic tibi non querneam sed auream dicabo coronam: OB CIVES SERVATOS. Plura necessitas mea requirit, at lachrymarum imber erumpens prohibet, vocemque singultus sepeliunt. Audi me, Jupiter: esto Jupiter juvens Pater: O Pater audi: O Pater.

Sic in medio orationis filo deficiens Germania omnium in se ora convertibat

Virgil. lib.
10. Æneid.

*Cunctiq; fremebant
Cælicolæ assensu vario: ceu flamina prima,
Cum deprensa fremunt sylvis & cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.*

Mercurii
ablegatio

Interim magnus Jupiter Atlantide Majâ sibi filium natum Deorum nuncium ad se vocat. Juvenis is erat hilari vultu atq; acribus oculis, sine fuce & comtu formosus petaso & talaribus aureis insignis

Virgil. lib. 4.
Æneid.

*Quæ sublimem alis sive æquora supra
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.*
Una manu fatalem virgam quâ

Ani-

Animas ille evocat orco

Pallentes, alias sub tristia tartara mittit.

Virgil. ibid.

altera caduceum, quem angues gemini mutuis inter se spiris complicati, caudis ad capulum demissis amplectebantur, habebat. Is surgens ac mandata accipiens, celeri statim se pede porta extulit, eadem expediturus. Ipse autem Jupiter

Magno curarum fluctuat aestu

Atq; animum nunc huc celerem nunc dividit illuc

In partesq; rapit varias perq; omnia versat.

Virgil. lib. 7.
Æneid.

Sic cum aliquantum temporis perseverasset, tanquam è profundâ cogitatione emergens, nutu silentium poscit: Illi aures animumq; arrigunt, & dicturientis auspicium, officiose venerantur.

Jupiter ad
ceteros
Deos.

Gravissimi mei labores, Dii immortales, quos pro hoc quidquid est orbis superi, inferi, terrestris, cœlestis, capesso, si quaquam aliâ in re, quoquam tempore vestris eguere consiliis, vestris adminiculis: hoc tempore hac in causâ ea non petere, sed flagitare videntur. Magna enim res agitur: nec de familia herciscundâ velitatio est, nec de unius privati hominis vitâ, quæstio. Sed de Germaniæ Europæ Provinciâ principis, quæq; imperium, quod nos Divos fundatores prædicat, per secula non pauca gessit, dignitate, libertate, salute cernitur. Sanè ex unâ parte Justitia mea, Nemesis oratione inflammata, non injustam aut immeritam in populum tantis vitiis, flagitiis, sceleribus obrutum, concipit indignationem: ut parum absit quin sinistra omnia transcam, & filiam hanc ceu ingratham, degenerem, abdicem, exheredem. Sed ab alterâ, Clementia, quam etiam immerentes sæpè propitiam sibi senserunt, libram assensionis meæ suo pondere inflectit, & summo nisu ad se

trahit: animumque simul subit cogitatio, & pudor ex-
 stirpandi funditus illam gentem, quæ non modo gloriâ
 belli & integritatis aliud semper hucusq; claruit, sed &
 quicquid fecit, humanâ forsan potius imbecillitate, &
 malorum contagione quam propria ingenii malitiâ fe-
 cit. Sic animi dubius hæreo & quid decernendum sit,
 ut nec Clementia se posthabitam queratur, & Justitiæ
 suus maneat vigor, æstuo: Vos quæso, Dii immortales,
 qui consilio vestro aliis in rebus, non raro fidelem mihi
 operam navastis, nunc similiter animis præsentem ad-
 este. Et quod toti huic cœlicolarum cœtui, omnibus
 imperio nostro subiectis, felix faustum salutareq; eve-
 niat: Quid de afflictâ Germania statuendum sit, num
 illi succurrendum an tanquam auxilio indigna pro de-
 relicta sit habenda, liberâ mente, liberâ linguâ edisse-
 rite.

Proposuerat hæc Jupiter, & statim ad dicendum se
 paravit illa.

Divum Regina Jovisq;

Et soror & conjunx.

Virgil. lib. 1.

Æneid.

Juno con-
 tra Ger-
 maniam.

Sexus honori datum, ut etiam ante Neptunum diceret.
 Corona caput ornabat, ut Reginam nosceres: Pallâ cor-
 pus induta erat, quasi Pavonum pennis intertextis, o-
 culea totâ, ita multicolori texturâ variata vernabat: Fa-
 cie eâ erat, ut nec pulchritudinem in eâ desiderares,
 nec majestatem. Tandem in hæc verba locuta est.

Miror equidem & maximè miror, O. M. Jupiter,
 Frater ac Conjunx charissime, vosque ceteri Dii im-
 mortales, unde tantum audaciæ sumpserit Germania,
 ut in augustissimum hoc concilium supplicandi vene-
 rit causa. Ne enim enormia ista flagitia recoquam,
 quæ facundo Nemesis perstrinxit ore: si prorsum, si

rur-

rursum videat, quæ non non reperiet sibi infesta, infau-
sta? Mesanè qui clementem sibi fore existimet? Quæ
illigenti successit, cui nunquam non capitali odio ad-
versata sum: Id imperium adhuc fovet, quod nullo non
conatu evertere laboravi semper. An veteres irarum
causas sævosque dolores excidisse jam animo putat?
Fallitur sanè

Manet altâ mente repostum

Judicium Paridis, spretæq; injuria formæ.

Annon Trojæ mœnia cogitat, quæ meo instinctu ceci-
dere: aut illum primum imperii hujus autorem Æ-
neam, qui multis erroribus circumactus, multis cladi-
bus terra marique affectus, me infensum sibi semper
expertus est? Annon Romæ illius meminit, cujus se
succedaneam esse gloriatur? Romæ illius, quæ orbis
prædatrix, urbium vastatrix, meam etiam Carthaginem,
quam

Terris magis omnibus unam

colui & dilexi, internecatis incolis, exustâ urbe, mœ-
nibus destructis funditus delevit? Sed benè habet: I-
ram meam dudum illa sensit, ac poenas dedit, nec jam
pristinæ quidquam Magnificentiæ videre est, quam ru-
dera

Et campos ubi ROMA fuit.

Illa etiam Germania, quæ titulum ejus, quæ insignia po-
tentiamque affectat, sentiet nec sine sua pernicie sen-
tiet. An ergo, inquires, auxilio omni ut destituamus
Germaniam vis, ac interitum ejus otiosis oculis aspicia-
mus? Non hac sanè volo ratione, quod me meosvè læ-
serit, ne ex affectu magis quàm veritate sententiam di-
xisse videar. Nec impero ut fiat. Tuum enim, Con-
jux carissime, imperare est, nostrum imperatis obse

Virgil. lib. 1.
Æneid.

Virgil. lib.
eol.

Virgil. ibid.

qui. Sed si me consulis, svadeo. Quemadmodum enim in toto hoc orbis theatro nihil stabile, nihil constans, omnia orta occidunt & aucta senescunt. Non terra, non coelum mutationis periculo exceptum, non totus hic rerum omnium contextus: Sic pariter respUBLICÆ nascuntur, crescunt, florent, decrescunt, moriuntur. Ac velut homines, radicali humore absumpto, & calore vitali cessante, in mortem refrigescunt: Sic Respublicæ aut à morbis per violentiam pereunt, aut impotentia quadam naturali demum ad defectum rediguntur. Nempè certus & inviolabilis hic fatorum omnibus rebus terminos præfigentium est ordo: cui non homines dicam, sed ipsi Dii impares sunt: Quin tu quoque, Frater ac Conjux charissime, in vanum repugnes. Quis autem Germanam potentiam ad fatalem istam metam pervenisse non videt? Crevit, floruit ea, decrevit etiam & exolevit: restat ut moriatur, ut occidat, ut alii orienti Soli locum concedat. Et unde ipsis, quæso, Germanis feralis ista rabies, quâ bestiarum more inter se concurrunt: ac propriis viribus vireculas, quæ adhuc superant, atterunt: Ni à fato pridem essent excœcati, ut nec mala sua, nec remedia videre possint. Sunt qui odio, sunt qui ambitione, sunt qui emolumento privato inducti turbant: opes, honores, quos quietâ Republica desperant, perturbatâ, consequi posse se arbitrantur: ac motâ, quod dici solet, aquâ piscatum suum exercent. Sunt qui scelerum sibi conscii ac pœnarum metuentes cuncta miscent, ut privata vulnera Reipublicæ malis operiant: siq; ipsis pereundum sit, publicâ ruinâ malunt quam suâ proteri, & idem in pace passuri minus in bello conspici. Alii præcoci ferocia non tam præmiis periculorum, quam ipsis periculis læti: pro certis & olim partis, no-

va,

*Besold. lib. 2.**Polit. c. 2.**§. 2.**Natat. Comes. 3. Myth. 6.**Cic. in orat. Catil. 2.**Tacit. lib. 1. historiar.**Vell. Patenc. lib. 2. histor.**Tacit. lib. 2. histor.*

va, ambigua ancipitia malunt. Multi inertiam ac deliciis sepulti, militiae impatientes, patriae negligentes (neutrales istos dico) turpe otium justo bello praefereunt: cum gaudio & tripudio pereunt: ac quasi Sardoicis herbis saturati, *moriuntur & rident*. Sic scelerum ac vitiorum in Germaniam abunde est: periculorum multum: securitatis satis & plus satis: concordiae ac prudentiae parum. O quoties, tu, Coniux carissime, prodigiis terram, mari, coelo editis, instantium malorum nequicquam admonitam voluisti! Adeo quae fato manent, quamvis significata non vitantur: Adeo manum injicientibus fati, hominum sensus hebetari solent & obtundi: ut non ratio, non admonitio, non consilium ullum locum inveniant. Nempè hoc fata volunt, ut suam discordiam maximum hoc imperium pessundet: Hoc & nos velle debemus, nec enim refragari possumus.

Invida fatorum series, summisq; negatum

Stare diu, nimioq; graves sub pondere lapsus.

Conticuerat Juno, & quia parum grata locuta, bilem mihi moverat: in initio praecipue sermonis, ubi odium suum, nimis quam aperte prodiderat. Et o sequiorem verè sexum! Non imbecillum tantum imparemve laboribus: sed si licentia adsit, seivum, ambitiosum, nec affectibus temperantem: tacito mecum murmure volvebam. Cum Neptunus proximè post Junonem dicens, quae meditabar, tela intendit. Coronam is capite gestabat, sed argenteam & variam caelaturam spumarum instar candescentem: Toga cyanei erat coloris, cui tamen albidus ac viridis ita aptè insertus ut marinorum fluctuum speciem repraesentaret. Sic autem tridenti suo innixus, ille.

In vasto illo consiliorum mari, affectuum impri-

Besold. lib. 2.

Polit. c. 9.

§ 35.

Tacit. lib. 1.

histor.

Amm. Mar-

cell. lib. 14.

histor.

Lucan. 1.

Tacit. lib. 3.

Annal.

Neptunus

pro Ger-

mania.

mis, omni cura ac industriâ devitandi sunt scopuli, non illi modo qui præfident, sed & iis qui assident: ne aut Amori aut Odio indulgisse videantur. In hos enim si impigerit, haud facile portum consequetur, svasoria ista ratis. Pessimus affectus Amor est, cum sententiam publicæ utilitati debitam, in privatam amicitia remunerationem Judex vertit. Pessimus Odium, cum in privatam injuriæ vindictam ratio id consuli vult quod æquum est; affectus id æquum & justum videri, quod consulit. Tu sanè, ò Soror, in alterum horum impingis: odiumq; in Germaniam ita apertè detegis ac luculenter ostentas, ut nesciam quid luculentius. Ergone immortalia tua odia sunt, nec illorum omnium te deseruit memoria? Ergone tuum vindictæ

Virgil. lib. 5.
Æneid.

Inexsaturabile pectus,

Quod nec longa dies pietas nec mitigat ulla.

Virgil. lib. 1.
Æneid.

Poteram ego simili modo afflictæ in parte patrocinari Germaniæ. Vel quod Æneam illum, cui adeò infesta es, non semel contra machinationes tuas servassem, ventosque quos tui ac Nymphæ amore immiserat Æolus, fugassem: Vel quod de Germanorum, qui verè filii mei sunt, inferiores imprimis & quos Saxonum habet ora, fato ac salute disceptaretur. Sed sincerè, sodes, seclusis affectibus agamus. Nec enim in aquâ lutulentâ & cœnosâ, quis suam videat, sed in limpidâ saltem: nec ratione affectibus lutulatâ ac infectâ Justitiæ aut Æquitatis imaginem. Me quidem, ut pro Germaniâ dicam, id maximè omnium movet, quod miserabili eam vultu, lugubri habitu, passis crinibus, velatis manibus, eâ oratione, quæ vel chalybem emolliat, suppliciter præteritorum veniam petere, ac meliora deinceps de se polliceri video. Quo si quis non moveatur

Hunc

*Hunc duris genuit de cautibus horrens
Caucasus, Hircanaq; admorunt ubera tygres.*

*Virgil. lib. 4
Æneid.*

Quamquam enim iis, qui desperatò peccant, de quibus nulla melioris vitæ spes est, parcere extremæ lentitudinis sit: nimix tamen severitatis est eos negligere, quos in melius mutandos non desperamus, imo quos certò novimus. Optimum sanè primum est non facere: at optimum secundum, verè poenitere: optimum tertium nunquam redire. Quid autem? Germania deliquit? At delictorum poenitet: Vix autem deliquit, quem deliquisse poenitet. Peccavit Germania? Turpiter fecit? At turpius faceret, si peccatorum non poeniteret, nec rediret in viam. Tu Optime Frater, aspice poenitentis affectum & veniam concede. Sit tibi poenitentia loco innocentix: nec poenâ sed poenitentia contentus esto. At tu, Juno Soror, de fato scrupulum injicere conaris: qui tantum tamen abest, ut âsententiâ me dejiciat, ut potius confirmet. Fato tu interitum Germanix jamjam instare conjecturis ducta ais? Nego hoc maximè si quidquam aliud, ac pernego: non conjecturis sed apertâ veritate subnixus. Æternum fati hoc Germanix imperium est: & inter quatuor ista florentissima, quæ ad finem mundi duratura constituerunt Parcæ, ultimum. Nonne ipsemet, Frater, multis ab hinc seculis sponondisti?

*His ego nec verum metas nec tempora pono,
Imperium sine fide dedi.*

*Virgil. lib. 1.
Æneid.*

Vacillet licet, stet luteis pedibus malè conglutinatis, e-lumbe sit ac imbecillum: cadere ac interire penitus non poterit, nec nisi cum mundi hac machinâ dissolvetur.

Ergo

Ergo a te, Frater, malorum accipiat levamen: idq; hoc tempore potissimum svadeo, ut quod ferreâ fatorum destinatione tandem facere cogeris, nunc spontè fecisse dicaris, & ex ipsâ necessitate, Clementiæ, quæ maxime magnates decet, insignem captes laudem. In summo rerum fastigio positus es. Ne magnus magis quam bonus audire desideras, sed duas diversissimas res Potentiam ac Clementiam inter se misce. Magnum est unum te præesse omnibus, toti orbi moderari, cœlo ac terris paci & bellis iussa legesque imponere: At pœnitenti & supplici veniam concedere majus est. Divinum est atheos ac superbos cœlumq; ipsum stultitiâ petentes Gigantes justo fulmine percussisse: Unum tamen servare, non innocentem, sed pœnitentem, quam tot occidisse nocentes, divinius est. Nec ullâ in re divinitas tua magis elucescet, quam si Misericordiam ac Clementiam in miseros exeras. Hac homines nobis Diis proximi sunt: Hac nos Dii unicè præstamus hominibus. Exere igitur Misericordiam: Justitiam vincat Clementia: imo cum Justitiâ amico foedere coëat Clementia. Justitia vult, ut punias peccantem: Clementia, ut recipias pœnitentem. Justitiæ jam satisfactum: sat enim pœnarum dedit, sat malorum perpeffa est hucusque Germania, & nunc pœnam dat gravem confitendo. Restat ut Clementiæ satisfiat: quod fiet, si ut illa commissa ingenuè agnovit, tu misericorditer iisdem ignoscas.

Apollo
pro Ger-
mania.

Post Neptunum ordo dicendi tangebatur Apollinem. Vix vesticeps videbatur, adeo nulla circa os lanugo apparebat: Virginem dixisses, adeo lætis oculis erat & blandiculo vultu. E virenti lauru corona caput, crispulæ & in cincinnos fractæ comæ, sparsæq; decentes hinc inde humeros obumbrabant. Aurea vestis illi erat, au-

rea

rea lyra, aurea ex humero pendens pharetra, quin & calceamēta aurea erant, & cetera omnia propemodum: Unde tantus splendor exhibat, ut intuentis per eum lumina caligarent. Is autem ita disseruit.

In tuam ego, optime Patre, sententiam ambobus pedibus descendo, ac pro Germaniā sententiam fero: illisque cruentis bellorum spectaculis ē medio sublatis, oblitterata Pacis & Concordiæ imprimis nomina reducēda arbitror. Dolui enim vero hucusq; & doleo adhuc meam omniumq; literarum, omniscq; humanitatis; doleo virtutum & honestatis; doleo bonorum omnium hominum vicem, quod illa bellorum tela, toties per-texta, re-texta adhuc duret. Nam & mihi cum Musis, Gracis literisq; emigrandum hinc erit: & omni virtuti ac honestati vertendum solum: & omnibus bonis funditus pereundum, nī bella ista sopita tandem quiescant. A literis quidem excultis, quantus in publicam rem fructus redundet, nemo nisi Barbarus, imō non homo inficias eat. Literæ sunt velut Sol animi: Ut enim si non luceat, obscura omnia sunt, ac indiscreta: Sic in animo nullā eruditione nullisq; literis exculto confusa atque inordinata jacent universa. Literæ sunt stabilimentum ac fundamentum unicum Principatus. Ac velut Aquila dum in summis rupium verticibus nidulatur, lapidibus injectis nidum stabilire solet, ne vi ventorum dejici: Velut navita vacuum mercibus navem saburrā implere ne tempestatis & undarum impetu everti possit: Sic ad Rempublicam accessuri literarum onere ac saburrā firmare se debent: Quod nī faciant, ā minimo occurrentis adversitatis ventulo concuti, quassari, subverti possunt. Nec aliud thraſonibus istis, qui sola bella, prælia, victorias, triumphos crepāt, si ad gubernacula veniant,

Basil. Imper. ad Leonem filium
cap. 1.

D

acci

*Putean. in o-
rat.*

*Salust. in o-
rat. Lepid.*

*Tacit. lib. 2
histor.*

accidit, quam ut aut ipsi semet perdant, aut Rempubli-
cam novent, concutiant, quassent, demoliantur. O verò
beatas Respublicas & iterum beatas, si aut Philosophi
regnent, aut Reges philosophentur! ait ille, qui meo o-
lim iudicio sapientissimus mortalium iudicatus. Et sanè
felix omnis Respublica fuit, felix Germania, dum literas
coluit, dum literatorum consilia à regimine non spre-
vit. At nunc ô infelicem! cuius juvenus bello efferata, à
studiis abducitur: præ molli papyro, durum ferrum tra-
ctare amat: præ crenâ capulam tangit: præ amabili Mu-
sarû confortio aspero Martis sodalitia gaudet. Eò proh
dolor! proh pudor, ventum ut indignum ingenuo ho-
mine videatur, cultum ingenii profiteri: illiberale sit, ar-
tibus liberalibus vacare. Et hinc non aliundè uberrimus
iste vitiorum proventus, qui quidquid boni quidquid
virtutis in primâ herbâ obruit. Ut enim ex agro què de-
bitâ culturâ Dominus non afficit, quem nec vomer scin-
dit, nec sarculum purgat, quantumvis fertilis sit & ex-
tremæ bonitatis, quidlibet potius, quam utilem speres
fructum: Sic ingenia per se haud mala, nî doctrinæ vo-
mere assiduè exerceantur, nō virtutes, sed vitiorum lap-
pos tribulosq; producunt. Ubi enim in hoc bellorum æ-
stu, literarum contemptu, religio & pietas in Deos? Ubi
probitas & vitæ integritas? Ubi fides? pridem à vitiis op-
pressæ sunt: pridem ab istis stolonibus omni succo sub-
tracto fructiferi virtutum rami exaruerunt. Quod scele-
rum abest? Quæ humana superant aut divina impolluta
sunt? Quæ templa, quæ sacraria reliquerunt inviolata mi-
lites? Quas urbes, quas regiones rapinis suis & violentis
exactionibus non expilarunt? Milites dico, illos præser-
tim, qui in omne fas nefasq; avidi aut venales, non sa-
cro, non profano abstinentes: quos nil nisi populari

Sema-

*Semperq; recentes**Conveſtare juvat prædas & vivere rapto.**Virgil. lib. 9.
Æneid.*

Quæ pudicitia, quam ſuis fœtoribus non deturparunt?
 Quæ domus, quæ familia, quam cædibus & hominũ in-
 teritu non cruentarunt? Quot nobiliſſimæ ſtirpes exci-
 ſæ? Quot emeritorum Patrum ſenium liberis, quot filio-
 rum ignaram pueritiam parentibus hæc furia orbarunt?
 Ne plura dicam: Impietas, crudelitas, perfidia, & quid-
 quid eſt immanium vitiorũ, quibus exprimendis lingua
 mea laſſaretur, per belli amorem & literarum contem-
 ptum, per venales iſtas auro animas regnat & nullo do-
 ctrinæ retinaculo retenta, hoc bellorum torrente in vi-
 tiorum mare vel invitã Germaniã rapitur. O civile, heu,
 incivile nimis bellum! O inferni propages vitiorũ ac ſce-
 lerum parens! Quod tot annos facinus extitit niſi per te?
 Quod flagitiũ ſine te? Cui niſi tibi tot hominũ neceſ, tot
 vexationes direptioneſq; provinciarũ impunitæ fuere
 ac liberæ? Quid non ad negligendas ſolũ honeſtas leges,
 ſed evertẽdas perfringendasq; magis te valuit? Apud te
 quã peſſimè quiſq; fecit, tam maximè tutus à pœnã eſt.
 Eò enim militum petulantia excrevit & malitia ut Im-
 peratores, Duces, Tribuni etiam juſtitiaæ amantes & bo-
 ni eam compeſcere nequeant. Tibi vero, O. M. Jupiter,
 Pater chariſſime, ſi tuos, ſunt enim tui Germani, bonos,
 ſi ſalvos cupis, Pax omnino proſcripto bello reddenda
 eſt: Pax quã non ea modo, quibus natura ſenſum dedit,
 ſed & tecta atq; agri lætari videntur. Excitandæ ſunt li-
 teræ quas bellorũ impetu percuſas ac proſtratas jacere
 animadvertis; judicia conſtituenda; revocanda fides;
 comprimendæ libidines: ab lolio & pravorum homi-
 num retrimẽtis ager purgandus eſt. Utinam ſemper ſuo-
 rum eſſet temporum ſtatus, ut militum liceret ſtipendia
 in literatos transferre: ſapientiſſimus Imperatorum

*Cicero.**Suidas.*

Leo in votis habuit, ad effectum producere non potuit. Tu potes, Pater. Ergo Germaniam firma ac stabili pace donato, ut quam dignationē turbato hoc rerum statu milites obtinent, literati optimo jure sibi debitam consequantur. Illud cogita, Pater, quod Probus ille probissimè dixit: Milites minimè necessarios fore cum desunt hostes.

Mars cō-
tra Ger-
maniam.

Apollinem subsequeretur ille hominum occisor, populator agrorum, everfor urbium, Mars, quem quid attinet describere? Species ejus hoc rerum statu heu! nota fatis. Totus mas erat, totus ferreus: vultu ipso sanguinem sitiebat, truculentiam spirabat. Et manu ad capulum admotâ (quasi cum isto Cæsaris centurione, hic dabit, hic decreta vestra, si mihi displicuerint, rescindet, diceret) sic intonuit.

Virgil. lib. 11.
Æneid.

Quid tandem? An tibi virtus

*Ventosa in lingua, pedibusq; fugacibus istis
Semper erit.*

Te alloquor, Apollo: ita prolixè prætextu nescio quarum literularum, bellum omne & quidquid belli habet speciem, è Germaniâ proturbare conatus es. Mihi alia verò longè mens est à tuâ mente: qui pilo magis quàm stilo depugnare, bipennem quàm pennam versare semper studui: nec posco nisi

Virgil. lib. 6
Æneid.

Bella, horrida bella.

Bellorum enim sum Præses, rector ac director: bellis extinctis contemnar & omnibus sum deridiculo. Bella & ipsa poscere debebat, non pacem muliebriter flagitare, ni à majorum virtute degenerare vellet Germania: Bellorum studiosa hucusque fuit, meque semper Deum suum ac præcipuum Patronum est venerata. Tu ergo abi, Apollo, in Græciam Musarum sedem; Athenas abi

pro-

proprium tuum domicilium, five in Lycaëum five A-
cademiam mavis: ad istos, qui artes, quas liberales vo-
cas, profitentur, & inutilibus suis ineptiis mirum quan-
tum sibi placent: Germania Martia gens est, nec quid-
quam tecum commercii habet. Tu sanè domi ceu clau-
dus sator deside: circulos tuos ac varias figuras, quas in
chartis fingis, ac pingis, intentis oculis ad satietatem us-
que contemplare & admirare. Mihi instructas videre
acies jucundius, cum hinc

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum

Illinc

Insequitur nimbus peditum, clypeat aq; totis

Agmina densantur campis.

Tu sanè contortulas acutæ delirationis conclusuncu-
las, quas contempsisse melius quam solveere, audi, iisque
oblectare. Mihi aures magis gestiunt

Cum tuba terribilem sonitum procul ære sonoro

Increpuit, sequitur clamor, cælumq; remugit.

Mihi svavior equorum hinnitus, machinarum fulmi-
narium boatus, armorum fremitus,

Bellantum juvenum & durâ sub morte cadentum,

gemitus. At tibi, Germania, quis tantum confidentiæ
suggerit, ut in conspectum O. M. Patris mei ac cetero-
rum Deorum immortalium accedere audeas? Non tot
malorum, quæ aliis provinciis ac toti Europæ quondam
intulisti, tibi conscia expavescis? Vides ut Italia te ac-
cuset? Hanc Cimbrorum primò, Gothorum deinde,
tum Longobardorum agmine terruisti, invasisti, obrui-
sti. Quoties illam caput orbis ac Dominam Romam
milite tuo oppugnasti, expugnasti, dispoliasti, ferro
flammaq; deformasti? Nonne illud augustissimum im-
perii decus nomenq; Romæ Italiæque eripuisti? Vides

Virgil. lib. 8.
Æneid.

Virgil. lib. 7.
Æneid.

Virgil. lib. 9.
Æneid.

Virgil. li. 12.
Æneid.

Laus. in con-
sult. de
princ. int.
provinc. Eu-
rop. p. 103.
Virgil. in 2.
Eclog.

Pallas pro
Germa-
nia.

Virgil. lib. 8.
Æneid.

ut Hispania intercedat? Hanc Vandali, mox Gothi u-
traq; tua proles ad internecionem affixerunt. Quid de
Galliâ merita es? Hanc Franci tui ceu serpens flamma
totam devastarunt: hanc Normanni tui adeò percule-
runt, ut in publicis Ecclesiarû supplicationibus hoc fue-
rit additum: A furore Normanorû libera nos Domine.
Nec Britannia propitia, si Anglo-Saxones tuos cogi-
tat: Hi ab incolis contra Pictorum Scotorumq; excur-
siones in auxilium accersiti hospitibus suis illud occi-
nuere: *Veteres migrate coloni.*

Quin ergo quod tu alius ante jus dixisti, nunc tibi quoq;
dici patiaris: nec molestè feras, quod illæ ipse gētes vin-
dictam flagitent, & in te modo conspirent: Quæq; maxi-
mam quondam laudem in eo posuisti, finitimis expulsi
& quam latissimis circum te vastatis finibus solitudines
habere: nunc etiam tuam quam deploras ab aliis illatam,
æquo animo perferre labora, solitudinem, vastitatem.

Finem dicendi fecerat Mars: & Pallas ægide ac
hastâ formidabilis initium fecit. Formam ejus tuò in-
tueri non audebam, ne

In pectore Divæ

Gorgona desecto vertentem lumina collo

aspicerem ac verterer in lapidem: nec ergo describere,
licet. Hæc Marti sic replicavit.

De adamante novimus, Optime Pater, vosq; Dii
ceteri, nil durius & minus esse tractabile, quodq; omnē
Opificis manū respuat, nî hircino sanguine tingatur, e-
molliatur. De feris quoq; & feroculis istis ingenis novi-
mus quos natura insigni ad res egregias perficiēdas im-
petu armavit, nil truculētius, nil inhumanius esse, nî do-
ctrinæ ea liquore imbuta mansvefiant. In te experior,
Mars, qui adeò asperè, adeò inclementer in Germaniam

dixi-

dixisti, in bello tuo etiam irrationali tantū tibi places, omnem doctrinā & humanitatē tantā severitate ē regno tuo exulatum ire jubes: ut & Germaniæ & paci & literis esse videaris, quod olim Romæ fuit Catilina. Ego quoq; ō Mars frater, hastā, ægide, casside armata sum: nec literarum tamen & librorum contemptrix. Nempe bellorū Dea sum: bellis ut par est, delector, sed illis quibus ipsius causæ Justitia pondus ac robur addit. Nempe literarū & humaniorū Dea sum: literis, ut par est, delector: literarū ne radix funditus pereat, maximo me opere prospicere par est. Quid verō tu tam internecino odio literas prosequeris? Literæ sunt, per quas tui illi alumni sunt, quod sunt: per quas ipsi dudū defuncti superstites vivunt, cum sine illis idem tumulus, qui extinctorū corpora contexit, laudem & gloriam simul obruisset. Quis Achillis meminisset, quis Hectoris, quos Ilium & Ilias nobilitavit, nī Homerum præconē invenissent? Atqui ō fortunatū ob hoc Achillem: Magno isto, quē etiam inter tuos meritō memoras, teste! Quis alios asseclas tuos nosset, quis tot bello fortes dexteras, tot egregia virtutis exempla? Tenbris jacerent sepulta, nī literarum radiis illustrata forent. Ergo negliges mihi literas: tuorum nomen ac famam, imo teipsum negliges. Non adeo tamen istæ mihi placent literæ, quæ ad virtutem Doctoribus nihil profuerunt: pudeat, si qui scholæ tantum, non vitæ didicerint: pudeat, si qui ita sese literis abdiderint, ut nihil possint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in aspectum lucemq; proferre. Quid procera & frondibus opaca arbor, si infœcunda sit? Quid literæ, si tantum literæ sunt, nec ad vitam gubernandam, quid conferunt? Mihi ea demum doctrina commendatur, quæ agere negotium publicum, cognoscere, judicare,

pro-

Cic. in orat.
pro Arch.Marius a-
pud Salust.
in bell. In-
gurb.Cic. in orat.
pro Arch.

De Helvidio
Prisco Tacit.
lib. 4, Annal.

Senec.

P. Iovis in e-
log. doct. Vir
in præfat.

Lanſ. in Con-
ſult. de
princ. int.
provinc.
Europ. p. 128

promere & exercere Juſtitiam docet: quæ præſtat ut
quis firmior adverſus fortuita Rempublicam capeſſat:
quæ animi eſt medicina, virtutum officina, morum ac
benè vivendi diſciplina. Hanc tu ſcilicet contemnis,
quæ adverſus tua etiam arma, tuumq; furorem ſtat in-
concuſſa. Tu opes diripis & deprædaris? Hæc effi-
cit, ut bonis ſuis exutus Stilpon, *Omnia mea mecum porto*,
gloriarî poſſit. Tu pericula minitaris? Hæc adverſus
omnes fortunæ impetus firmat. Tu mortem intentas?
Hæc meditatio eſt mortis: mortis auferit terrorem &
omne per quod formidabilis mors eſſe homini ſolet. Er-
go arma tua cedant togæ, cedant literis: ſine quibus il-
la nil profunt, contra quas nil poſſunt. Quid vero ul-
terius cauſæ, mi Frater, quod Germaniam quaſi manci-
pio tibi datam in illaq; Apollini ac Muſis juris nihil pu-
tes eſſe, ſed eum aperta ſannâ in Græciam ire jubes. Fuit
ſane quondam Græcia Apollinis ac Muſarum ſedes, do-
ctrinarum omnium Mater: at nunc Barbaris habitata,
Barbaria eſt ſupra omnem Barbariam barbarâ. Dudum
literæ omnes in Germaniam fati commigratione tran-
ſierunt: neq; illa veteri, quam à te habet, militiæ laude
contenta, ipſa pacis ornamenta, literas optimasq; ar-
tes, decoquenti Græciæ ac Italiæ abſtulit dormitanti.
Ne tamen injuriâ te affectum querare, Frater, ſi è Ger-
maniâ excluſum planè te videris: Age ſit bellicoſa Ger-
mania, dum ne literas planè ſpernat: corripiat, vibret ar-
ma, ſed in externos hoſtes: gerat tuo dâctû, auſpicio,
bella, dummodo ne in propria viſcera amplius ſæviat.
Rudolphus iſte non nomine modò, ſed incomparabili
fortitudine ac animi robore primus Imperator, quatuor
millibus galeatorum equitum, & quadraginta peditum
Germanicorum ſe ſtare invictum gloriatus eſt. Quid ſi

tot

tot millia, quæ nunc in mutuum exitium ruunt, conjungantur in Barbarum itura? Sentiet ille, sentiet tot injuriâ occupatarum regionum, tanti innocentis sanguinis effusi gladium vindicem! è Græciâ fugitivus, in obscurum, unde erupit, Asiæ mox sese recipiet angulum: Ille ipse Oriens, qui monstrum hoc produxit, victricem ac triumphantem brevi nostram spectabit Germaniam. Fiat, Optime Parens, Divorum maxime, fiat. Tu quæso exulceratos istos animos delenito: dissidentes inter se firmissimo Concordiæ vinculo coadunato: aufer illud intestinum bellum, in quo omnia misera, sed nihil ipsâ victoriâ miserius. Sic exteræ omnes gentes, quod jugum minantur, victæ subibunt, Germaniamq; felicissimo Martis & Artis conjugio maximam semper agnoscent.

Palladi Venus non illa castissima & Platonica, cui etiam pudicitia deferres principatum, sed quæ mari orta, Amorum voluptatumq; mater, succedebat. Hæc elegantula erat & mollicula: caput myrto rosisq; cincta: oculis suppetulis: nigellis, quibus animi Lubentia satis elucebat, pupulis: reliquam cum formæ detrimento (nec enim paria reperio verba) formam adumbrare nolo. Hæc audacula, quasi cestu suo etiam Deorum animos permulcere confideret, rictu parvissimo, ore frenato, risu roseo sic fata est.

In hac dissensionum Euripo, si ad Martem potissimum ejusque sententiam me applicavero, non spero vicio vortes O. M. Jupiter, nec vestrum quisquam, Dii immortales. Bella ille amat, quanquam horrida bella, in quibus violentia, vulnera, cædes, ignis, affatim superant: in quibus dolor regnat. Bella & ego amo, quamquam bella bella: in quibus nec violentiæ, nec vulneribus, nec

Venus cōtra Germaniam.

E

cædi-

cædibus, nec igni locus est, sed sola Voluptas regnat. Si tamen violentia occurrat, si vulnera cædesve aut ignis, ista nec dolorem important, nec carent voluptate. Sic diversis sanè delectamur bellis: diversâ militiâ. Sed quia tua, ô Mars, bella mea etiam prosperant, ob id bella mea bella, aspera illa tua ac horrida, ut diurnent, voveo. Divus est quod gens ista Germanorum, imperium meum vultuosâ fronte, pervicaci mente renuit ac respuit: cum nempè extra nuptias foeminam viro copulari ingens esset flagitium. At nunc postquam peregrinos ardentiori libidinis flammâ calentes in medium Germaniæ sinum belli civilis fervor invexit: me etiam Cupidinem, & quidquid mearum comitum ac pedissequarum, & quidquid libidinum una invexit: Et dum disciplinam in pace inexorabilem legumque observantiam resolvit: omni cupiditati, quâ mihi servire fas est mortales, frœnum laxavit, breviq; mei studium sic invaluit, ut jam non Papho magis aut Cytherâ, quam ipsis his oris colar. Illi enim peregrini milites, quidquid præfracti animi fuit, quidquid austeræ pudicitiae, id aut precibus mitigarunt, aut precio emollierunt: Illi si quid nec precibus nec precio cessit, minis aut vi adhibitâ expagnarunt mihique subjugarunt: Illi pristinâ expulsâ severitate totam Germaniam suis moribus coaptatam meo servitio addixerunt. Quis enim istorum mihi non solemni juramento addictus est, & ad omnem nutum occasionemvè paratus? Ut tam infrequens sit militem in mea non jurasse verba, quam militem non esse militem: & qui duro castitatis voto mihi refragari velit, non generosus esse miles, sed degener, imbellis, socors dicatur? Generatim enim, tui, Mars, commilitones, ut in armis strenui sunt, sic neque

*In Venerem segnes nocturnaq; bella,
Aut ubi curva choros induxit tibia Bacchi
Expectare dapes & plena pocula mensa.*

Virgil. li. II.
Æneid.

Hac tot clientulotum ope adjuta, jugum meum, quod diu renuit, imposui tandem Germaniæ: & jam de subactâ in hoc intestino tumultu exulto. Floreo in bellis: floreo per milites. Floreant bella, floreant milites, ne imperium meum deflorescat, summis te, Jupiter, precibus exoro.

Sic orationis inducias faciens Venus, dicendi locum quæ proxima erat, Vestæ reliquit. Ea oculis in terram verecundiâ demissis, ut Virginem esse vel hinc conjectares, ita Venerem contra insurrexit.

Vesta pro
Germania.

Eloquar an sileam, in Veneremne invehar, an tacitâ dissimulatione dolorem meum sepeliam, animi dubia, adhuc sum, Optime Frater, vosque ceteri Dii immortales. Silentium imperat rei, licet aliquo verborum velo obnubilata, turpitude, quam cum recogito, ædepol faciem virginali pudore ac rubore suffundor: sed rumpit istud justa indignatio, in effrenem & enormem Veneris promiscuam libidinem commendantis concepta, audaciam. Quam unde tantam quæso, Venus, sumpisti, ut in augusto hoc comitio de re, quam honestè nominare imò cogitare vix est, verba facere verita non sis? An formæ tuæ decore ac blandidicis dictis, an cingulo quo amantes fascinare soles, in tuam nos sententiam trahere te posse putas? Falleris: adeo enim turpe id esse, quod defendis, norunt omnes, ut non homines modò sanioris mentis, ne de nobis Diis dicam, sed & brutorum melior pars abhorreat. Turtur uno compare contenta est, quo viduata assidue gemit, ac luctu requirit extinctum? Dicacula cornix & ipsa marito orbata tristem agit

vitam, omnesq; deinceps horret amores. At tibi infatigatae falacitatis passer magis placet, & in sterquilinio gallus, multarum uxorum maritus. Equus generosus aliquando matrem cum inscius, incestus pararium morfu peremit, alius membrorum, quæ peccarant, laniatu delictum expiavit. Pleraq; animalia ubi conceperint, nullo deinceps libidinum proritu uruntur, sed masculorum confortia, quantum possunt, fugiunt. Tu tamen leporem habes, quem excipias, & exemplo tibi proponas: is non contentus semel concepisse, superfoetat, initur & parit, concipitq; adhuc lactans. Esto sanè viliorum harum bestiarum Regina: dominare etiam istis figurâ humanâ bestiis, qui belluinis moribus assumptis, augustissimum hominis nomen perdiderunt: dummodo ne quod integrum, quod sincerum adhuc est, tuâ infectione corrumpas. Placeant tibi stupra, adulteria, quia scortatrix, quia adultera es: Placeant ob hæc bella: bella ego abominor. Virgo enim sum, Virginitatem amo, Virginitatem, cum optionem quidquid vellem eligendi dares, O. M. Jupiter Frater, ceu inter mortalium bona optimum elegi: casta sum, castitatem & pudicitiam amo. At in bellis non est castitati aut pudori locus nulla pudicitia, quam milites, quos clientulos tuos vocas, non diripuerint: nulla virginitas, quam non temerarint. Statim ac pedem in urbem posuerunt, flagrantibus stimulis aguntur in furorem: non ætati parcunt, non pietati, non pudori. Qui enim alieno parcant, qui suum pridem perdiderunt? Cubilia irruunt; uxores adulterando, filias stuprando, maritis ac Parentibus injurias inferunt: Familias omnes spuriam ac incertam stirpe confundunt. Isti arui alieni depopulatores.

Fruges consumere nati.

Qui

Nat. Comes.
lib. 8. myth.
cap. 19.

Qui quæ non severunt, metunt, quæ non messuerunt, devorant, disperdunt: alienam etiam pudicitiam depopulantur. Nihil existimant facere turpe aut pati, dum libidini suæ obsequantur. Aut blandis verbis, aut atrocibus factis thalamos triumphant alienos: quin nec istas virgines, quæ perpetuam mihi virginitatem consecraverunt, intemeratas relinquunt. Credite mihi, Dii immortales, quoties è summo æthere in terras forsitan respicio, vultus avertere aut oculos velare cogor, tantarum turpitudinum, tot flagitiorum, quæ quotidie sese offerunt, impatiens. Et hæc in illa gente: apud quos severa olim matrimonia, ut nec ullam morum partem magis laudares, apud quos plus olim valebant boni mores, quam alibi bonæ leges. In illâ gente ubi septa mulieres pudicitiam agebant, nullis illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ: ubi publicatæ ejus nulla venia, non formæ, non ætati, non opibus parcebatur. In istâ gente, ubi virorum singuli singulis plerumq; uxoribus contenti erant: ubi sera juvenum Venus, eoq; inexhausta pubertas. O Germania, quantum ab antiquâ illâ mutata es! Sed mutavit ac corrupit perditorum hominum multitudo, quæ in tuo sinu impunè grassatur. Hos tu, Frater, impuros nebulones è numero hominum ejicito, è finibus Germaniæ, imò humanæ naturæ exterminato, indignos qui aërem hauriant, qui lucis usurâ fruantur: Supprime bella, è quibus omnium malorum copia scaturit: Herculem aliquem mitte, qui Augiæ istud stabulum purget, à vitiorum fœcâ colluvie, impuritatis sentina: ne quod adhuc pauxillum integri restat ac sinceri, spurcorum istorum licentiâ omne contaminetur.

Post Vestam virgo nemorum ac montium custos surrexit Diana.

Tacit. de
mor. Germ.

Diana
pro Ger-
mania.

E. 3.

Hæc

Virgil. lib. 1
Æneid.

Hec humeris de more habilem suspenderat arcum

Venatrix, dederatq; comas diffundere ventis

Nuda genu, nodoq; sinus collecta flantes.

breviser ita dixit.

Laudo tuam, Germania, quam etiam in hac miseria rebus infractis ac ad restim penè redactis, servas Majestatem: Laudo simul tuam modestiam, quo Patrem meum O. M. Jovem ac divinum hoc concilium compellas. Sic enim apto temperamento eas misces, ut nec serviliter abjecisse te, & humiliter satis deprecata videaris. Utramq; laudo: utraq; te hac accusatione spero sublevabit. Ista enim Majestas etiam inter adversa servata quid nisi animi generosi signum est? Nempe nec Solem nebulæ ullæ aut nubeculæ, quamvis tegant, obfuscare, & eripere penitus nobis possunt: nec tuam tibi Majestatem, ac excelsum animum ulla calamitas. Sed & modestia est, quæ optimo patri meo placita: cujus fulmina dura frangunt, mollibus plerumq; illæsis. Placeat nunc quoq; tibi, clementissime Parens, hæc modestia: ne tantæ Majestatis bello funditus pereat indoles. Pro Germaniâ pugno, Optime Parens vosq; Dii ceteri: Et quidni pugnem? Virgo sum, nec ut tu, Venus, innumeris implicita sive stupris sive adulteriis. Venatrix sum, & unicum mihi studium

Senec. in e-
pist.

Lips. cent. 1.
epist. 4.

Virgil. lib. 1.
Georgic.

Retia ponere cervis

Auritosq; sequi lepores, tum figere damas.

Sed & tu Virgo es, Germania, & licet amasii tui ac proci extremam adhibeant vim & nihil non tentatum relinquunt, est tibi inexpugnata adhuc pudicitia, illibata virginitas: Texant illi uno loco quantum velint, tu altero velut Penelope retexis atq; infectum reddis. Et Venatrix es. Quid enim tua pubes ardentibus magis habet in

VOTIS

votis quam noctu interdium venatui mecum incumbere:
meticulosum modo leporem.

Odora canum vi.

persequi, nunc cervum agere in retia, nunc volutabris
suis erutos apros excipere venabulis. Quod quidem
hoc tempore ne fiat, isti, qui nunc Germaniam vexant,
latrones impediunt ac interturbant: sylvas omnes ac
arbusa prædæ causa perrepunt, perumpunt, quæ mihi
præcipuis in deliciis devastare non verentur: Nec jam
in abstrusissimis etiam locis, quo lotionis causâ recede-
re soleo, licet esse securæ. Quos quidem ego Actæones,
si ocepso: Sed factò potius, quam verbis opus. Hoc
saltem nunc voveo Virgo, Venatrix: Vivat, valeat, vi-
geat diu Germania, Virgo, Venatrix.

Dixerat Diana, & ecce dicturientem video Vulca-
num: qui equidem ut apparuit altero claudicans pede,
fuliginosus totus, & brachia.

Vulcanus
contra
Germa-
niam
Iuven. Sa-
tyr. 13.

Liparæâ nigra tabernâ

stolidè jactans, risum jam ebullientem vix repressi Quid
hic inter olores aëser cogitabam: & ad Venerem respi-
ciens, quam par hoc impar! cum ipse suarum sordium
excusatiunculam præstruxit.

Lentis tostus flammis ac penè infumatus cinerumq;
fuligine & squallore undiq; oblitus, in Coelicolarū hunc
cœtum omni elegantiarum nitore excultum, cui sordes
meas ludibrio esse, facile conjectare possum, venire e-
rubescerem O. M. Pater, nî causæ momentum ac quod
privatim mea maximè interfit, præsentiam meam flagi-
taret. De pace, num Germaniæ bello afflictæ reddenda
sit, controverti audio, & libratis utrinq; dictis usque
huc sententiis, potissimam partem ad pacem inclinare
intelligo: quibus nisi voto meo obstem ac intercedam,

coelo.

coëlo ac terra penitus cedam & in obscuram Æthnam iterum compingar. Num bella durarunt, durant, durabunt, mei etiam cultus duravit, durat, durabit: Dum arma in pretio haberi ceperunt, meæ etiam artes sordidæ aliàs & illiberales habitæ, inter liberales imò supra liberales censerent. Non regno amplius in angustâ Æthna: toto orbe regno: totum orbem officinis meis occupo. Non sufficiunt innumeris gladiis, telis, scutis, & aliis armis fabricandis veteres laborum focii

Virgil. lib. 8.
Æneid.

Brontesq; Steropesq; & nudus membra Pyragmon.

Maximam robustissimorum toto orbe hominum meis operibus vindico partem. Omnes urbes clangore ferreo perstrepunt, omnes vicorum anguli malleorum strepitu consonant, cum illi mei ministri

Virgil. lib.
eod.

Inter se magnâ vi brachia tollunt

In numerum, versantq; tenaci forcipe massam.

At quis ferro locus, si ferreum hoc ac bellicosum seculum cesseret? Imò quis arti meæ mihiq; locus? Per te, amorem, Pater, quo filium me prosequi teneris, per beneficia rogo, quibus te non semel affeci, tum exarmata reparavi fulmina & obtusum cuspidis acumen: Ne bella ista desinant, ne artis meæ simul ac mei existimatio cultusq; desinat. Quid vero merita est Germania veniæ, ut pacem concederes? Imò quid non merita suppliciorum? Non geminabo, quæ ab aliis prolata. De uno saltem quo Germania insigniter gloriatur, invento dicam, bombardis scilicet ac muralibus tormentis. His isti flammæ & flammeos globos evomunt, ingenti fragore detonant, fulgurant, fulminant, nec te, Pater, æmulari modo, sed superare conantur. Fulmina sua tuis terribiliora autumant: Te nubes cogere, ut tonare queas, illos vel te tranquillo iratum regnum tuum quotiescunque

I. C. Scaliger in orat.
de Turc. Vienn. obsid.

velint,

velint, facturos: Imò & tibi repugnare conantur. Quoties enim tu nubibus coactis fulguras, intonas: illi tormenta sua displodunt, easdemque dispellunt. Quid est θεομαχῆν, si hoc non est?

Vidi ego crudeles dantem Salmonea pœnas

Dum flammæ Jovis & sonitus imitatur Olympi.

Virgil. lib. 6.
Æneid.

At meræ hæ nugæ fuerunt, si cum ferali tormentorum genere compares. Quisquis id invenit, non homo, sed hominum exitium nominari meruit. Id pro sifonis modulo hominem intra centum, trecentos, mille passus & amplius consistentem eminus ferit: Telum fronti ejus, pectori aut quocunq; tandem dirigitur, certè & cum interitu impingit: arces fortissimas, muros crassissimos, diverberat ac dejicit: fortes imbellesq; promiscuè sine discrimine priusquam sentiant, prosternit. O maledictum, ô abominandum instrumentum in ipso Orco ac imis Tartari fundis ad orbis ruinam fabricatum! Et tamen hoc invento magni sibi Germani & egregii videntur. Digni, qui, ut Diomedes ab Hercule carnivoris equis suis, ipsi tormentis objiciantur: qui, ut Perillus tauri ænei à se fabricati cruciatus, exitiabilem bombardarum in corporibus suis vim experiantur.

Sic ille. Quid ego interim?

Tractant fabrilia fabri.

Nec enim affabrè magis quid sermonis, à fabro ac extremæ conditionis homine, extremæ conditionis Deo, fabricari potuisset. Ultima Ceres restabat, frugum Dea: cui rei spicea gestabat sarta, & manu falcem.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram

Instituit: cum jam glandes atq; arbuta sacra

Deficerent sylva, & victum Dodona negaret.

Hæc de frugibus potissimam sui discursus partem instituens, sic inquit.

F

Ego

Ovid. lib. 9.
Metam.
Lans. in consult. de princ. int. provinc. Europ. p. 853.

Ceres pro Germania.
Virgil. lib. 1.
Georgic.

Ego verò auream Germaniæ pacem voveo, Frater, bellumq; illud imprimis diris omnibus devoveo. Pacem enixis votis postulo, & ut belli tempestate sedatâ Germaniæ aër tranquillet rursus ac serenet. Pacis causa bellum geritur, & præsentia pericula speratæ securitatis causa sustentantur. Pacem tu redde, Frater, & bella, quæ ad pacem solam consequendam collimant, aut collimare debebant, funditus excinde: ne si ea diurnent, à fine suo excidant, & in pacis vertant exitium. Pacem ego Ceres voveo, bellum devoveo: nempe

Pax Cererem nutrit, pacis amica Ceres.

Ovid. lib. 1.
Fastor.

Et Germaniæ quidem pacem, quâ hucusq; orbata fuit voveo. Tu quoq; Bacche, mecum, scio, voves. Germani enim nostris servitiis, nostro cultui, si quiquam alii, semper addicti fuerunt, à quibus omninò belli eos hic nimbus arcet. Antehac quocunq; circumspiceres, videre erat, hinc alios vomeritauris jungere, mox sementem dare terræ, tandem, meo ubi beneficio

Immensa ruperunt horrea messes,

Virgil. lib. 1.
Georgic.

Cerealia mea magnâ peragere solemnitatem: Alios pedamentis teneros adhuc firmare palmites, mox luxuriantes vitium ramos ferro exputare, deniq; ubi

Plenis spumat vindemia labris,

Virgil. lib. 1.
Georgic.

Bacchanalia tua summâ celebrare pompâ: ac ingenti, Jo Bacche, Jo Bacche, resonare plausu. At nunc

Non ullus aratro

Virgil. lib. 1.
Georgic.

Dignus honos: squalent abductis arva colonis:

Et curvæ rigidum falces constantur in enses.

Cessant sarcula, in pila vertuntur ligones, è rastris cassides fiunt, equo militi arator taurus cedit. Fruges aut in prima herba, aut maturâ messe obteruntur, aut horreis

jam

jam reconditæ subjecto igne exuruntur. Tua quoque, Bacche, munera, aut violatis sepibus conculcantur, aut contractis doliis profunduntur. Equidem ante bellum, dudum est, velut propriam ac perpetuam sedem Germaniam elegeramus. At nî istud cesset, relinquere cogemur. Omnibus eam muneribus affatim ornaveramus: quidquid poterat ubertatis ac foecunditatis abunde contuleramus. Et quanquam communi alias naturæ lege

Non terra ferre omnes omnia possint:

sed quædam singulari quadam dote gaudeat, quæ ceteris sit denegata: Hoc tamen Germaniæ peculiaris nostra benignitas contulerat, ut nihil, quod humanæ necessitati, aut utilitati inservire potest, quod apud alias gentes rarum & carum, non esset domesticum. Regionem ejus non tam terræ portionem, quam campi elysii imaginem putasses. Omnis illa aut intertexta vineis erat, aut florulenta pratis, aut distincta culturis, aut confita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus, aut interfusa fluminibus, aut crinita messibus. Commendetur ob frumenti copiam Gallia: Anglia gregū ac pascuorum multitudine prædicetur: Hispania ac Italia vinorum celebritate memorentur: quidquid in singulis extolli potest, uni Germaniæ cumulatim dederamus. Quæ Provincia comparari potuisset Germaniæ vini, quod producebat, multitudine aut bonitate? Quippe quæ de multis locis gloriaretur, plus ibi vini quam aquarum esse: Unde Gallorum dicterio: *s' on ne cuilloit te raisin le pais iroit se noier dans le vin.* Nec bonitate Hispanico aut Italico cedit, salubre enim magis est: ista dulcore quidem vincunt, at nî valde providè sumas, Morboniæ te mox Mortæq; facient candidatum. Quæ Pro-

Virgil. lib 2
Georgic.

De Aquitania ita Sal-
vian. lib. 7.

De agro
Virtember-
gico Lans.
pag. 60.

Lans. pag. 58

vincia superasset Germaniam, antequam vastaretur, frugum ubertate: Quippe quæ horreum quasi erat, ac cella penuaria totius Europæ. Meminisse debebat Hispania beneficiorum, quæ esuriens magno multoties comodo experta est. Meminisse Italia debebat: illius imprimis cum ei annis abhinc triginta quatuor dirâ fame pressæ, nisi suppetias tulisset Germania, funditus fuisset percundum. Sed horum non meminerunt ingrata pectora. Et nunc eam, quæ toties iis fertilitate suâ est opitulata, dilacerant, devastant, solitudinem faciunt, ut in ipsâ Germania pristinam quæras Germaniam. Quin ne ulla salutis spes superet, ipsam astutis inter se verborum machinis committunt. Tanti technarum artifices sunt, ut vel possint

Virgil. lib. 7.
Æneid.

*Unanimis arinare in prelia fratres
Atq; odiis versare domos & verbera tectis
Funereasq; inferre faces: His nomina mille,
Mille nocendi artes.*

Horum dolis circumventa in bellorum scyllam incidit Germania, nec perit aliter quam suâ bonitate. Tu, ô Frater, astutias in autorum verte caput, dissidentes Germaniæ partes concordi pace inter se ligato, furiam belli è finibus ablegato: ne si ea turbare perrexerit, mihi provinciæq; quam vehementissimè omnium dilexi ac colui, extremam adferat perniciem.

Pluto cō-
tra Ger-
maniam.

Vix desierat Ceres, cum ecce ingens in propinquo strepitus exoritur, ictuq; non levi impulsus sunt ostii cardines. Quo aperto, Pluto præcedente Mercurio, (quem hac de causa missum, ut præsens is consilio interesset, tunc demum intelligebam) ingressus est, alter Jovis frater, cui tertia in imperio divito fors obvenerat. Coronam gestabat imperii signum, non auream illam aut ar-

gen

genteam, sed ex hebeno nigram: Vestis purpurea erat, quæ tamen atro colore asperso non parum fervefceret: manu ingentem clavem, quæ sola inferorum sedes occludere ac recludere poterat, gerebat: omnes Dii manes comitabantur, solus Rhadamantus aberat, ne novi aliquid molirentur umbræ, provisor relictus. Agmen claudebat Eumenidum sororum triga: quas ubi insolito capillitio, anguibus in morem cincinnorum contortis, horrentes ac flagra quatientes vidi, in imos anguli recessus me abdidi: & heu! perii, interii, inquam, nî evadendi repentè viam genius aliquis ostendat. Sed metu statim solutus fui: illæ enim Plutonium recta secuti, cum ceteris in solitas sedes perrexerunt. Plutoni autem honoris causa Frater leviter assurrexit, ac salutis osculo libato, inclinato capite auribus ejus aliquid intimavit: summam, nî fallor, causæ, de quâ agebatur, exponens, & sententiam ejus anquirens. Qui paullum meditatus silentium in hunc rupit modum.

Non equidem, Fratres, vosq; ceteri Dii immortales in votis quid magis habuissem, quam ut consultationi huic vestræ, à capite ad calcem, ab ovo, quod ajunt, ad mala interesse, rationes à variis variis adductas audire, perpendere ac justioribus accedere licuisset. Namq; ut è ferri ac lapidis collisione ignis, sic è sententiarum collatione veritas elici solet. Sed absentiam meam facile apud te, Frater, excusabunt diffusa regni mei, quibus undiq; & undiq; obruor, negotia: hæc vix momentum ab aulâ meâ abesse, vestroq; coetui interesse sinunt. Nec equidem venissem, sed absentiam meâ plurimum votis tacitum adjecissem suffragium, nî ardua & mea etiam res ageretur. De Germaniâ, ut ex te audio, Frater, agitur, deq; pace ac bello agitur. Pacem ego repudio: bellum

ut perseveret usque volo. Pace enim non adeò multæ è Germaniâ animæ ad me migrabant, nisi qui forsitan temulentia plusculum deditæ, ac meraco mero avidius sese ingurgitantes, fato tardio rem prementis lethi necessitatem, celerius sibi admoverent. At bella cum reditus meos, quos in trium istorum fluminum, Acherontis, Stygis, Cocyti transitu, aucto ad tres obulos pro singulis animabus portorio, capio: tum imperium, innumerabilium cottidiè umbrarum adjectione, immane quantum amplificant. Fortes, imbelles, viros, mulieres, puberes, impuberes, cum plebe militum ipsos Principes ac Duces, belli rigor consumit, mihiq; transmittit tam millia multa,

Virgil. lib. 6.
Æneid.

*Quam multa in sylvis autumnis frigore primo
Lapsa cadunt folia aut ad terram gurgite ab alto
Quam multa glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.*

Et jam cum Charon unâ cymbâ, quæ vetustate dissoluta, non semel

multam accepit rimosa paludem,

tot umbris transvehendis, Minos, Rhadamantus, Æacus dijudicandis, Eumenides tres torquendis amplius non sufficerent: Plures naviculas cōstruere, plures nautas, iudices, tortores constituere meditabar, cum vestro consilio spem ac rem meam in dubium vocari audivi. Te alloquor, te obtestor, Jupiter, teq; Neptune, Fratres, ne fiat. Cœlorum vobis imperio ac maris celsi lubens: ad infera quæ sorte obvenerant, me contuli loca: adeoq; habitus contemptui sum, ut nulla Dearum conubio suo dignum judicaverit, sed raptu uxorem mihi quærere coactus sim. Non de iniquitate sortis tamen questus sum, nec invideo vobis regna illustriora meo:

modò

modo ne vos tantillum mihi umbrarum, quod quotidie per bellum accedit, invideatis. Sed & meriti dudum sunt Germani, ut bello pereant, ut mecum degant. A virtutum luce transfugæ indigni sunt, qui lucem tuam aspiciant: vitiorum tenebris immerfi, digni qui æternis mecum in tenebris commorentur.

Applausu suo ac gestibus omnes Dii manes, qui cum Plutone venerant, sententiam ejus comprobabant, ac alacri vultu adstipulabatur. Superabat ultimò dictur⁹ Mercurius, qui, ut vultus ferebat, animi motum detegens videbatur abnuere & ad contradicendum statum componere. Is ergo sic sermonem suum incepit.

Variis hucusq; inter vos sententiarum divortiis in re sic ambigua certatum esse non dubito, Dii immortales. Et quanquam idem, quod Plutoni, meum esset votum, ut consultationi vestræ ab initio interesse, vestrasque omnium rationes excutere licuisset: non tamen eadem stat animo sententia. Bellum vult Pluto, pacem omnino repudiat: At ego pacem præopto, pacem votis omnibus deponco. Placeat illi bellum, qui è bello nulla sentit incommoda, sed otiosus desidens, id solum tacito gaudet in sinu, quod istis mortalium inter se disfidis, tot umbrarum accessione, qui innumero indies numero transmittunt, & vectigalia ejus locupletentur, & regnum augeatur. At ego interim totos ferè dies nil ago, quam quod omnes mundi angulos pervolo, perscrutor: animas è defunctorum corporibus evoco, ac mortali vinculo solutas in Orcum deduco: Nec ab his mortualibus curis ullo tempore, aut interdium aut noctu licet esse quieto: imò vix tuis, O. Pater, negotiis ac mandatis vacare. Nec ob id sibi quidquam polliceatur de meâ faventiâ Bellum, quod Furum vul-

l. C. Callistratus in l. 19. §. 1 ff. de offic. Præs.

Mercurius pro Germaniâ.

Natal Com.
Mytholog.
lib. 10. & 5.
cap 5.

gò Deus audio: bellum verò maximos omnium fures alati. Fur ego insignis quondam fui. Instrumenta fabrilia Vulcano adhuc infans, Veneri amplexanti cingulum clepsi: Apollini boves surripui, ac minis territantiam pharetram sagittis vacuavi, ut nec sentiret: immo, Jupiter, tibi metipsum sceptrum sustuli, fulmen etiam surrepturus, nisi vim timuissem flammaram. Et quamquam ipse fur, furibus tamen adeò non faveo, ut etiam statuas meas in domorum vestibulis crexerint antiqui quod ceteros fures coercere crederer. At eloquentiæ Deus sum, eloquens sum, eloquentiæ maximè faveo: Unde ingentem hominum turbam catenulis aureis lingvæ insertis trahere post me dicor. Quis vero eloquentiam bellis his ludibrio haberi non videt? Quoties dicturus manu attentionem postulo; illi Martis pulli concussis armis, collisis scutis, fractoq; oris murmure horrendum resonant: Quoties dicere incipio ac feros animos demulcere; illi tubarum clangore, tympanorum mugitu obstrepunt, fulminalium tormentorum boatu intonant, ut nec proprias queam percipere voces. Quin & aureas istas catenulas ferro dirumpunt, & quidquid sequacium mihi superest hominum, à mei studio deducunt. Nec hujus modo eloquentiæ, sed & Mercaturæ Præses sum & subtilibus istis versutiis, quibus ipsi se Mercatores mutuò, quod naturaliter licet, circumvenire solent, admodum delector: Hinc Dolium me Deum nuncuparunt. Et hercle quoties Germaniam tam graviter mihi operantem aspicerem, incredibiliter lætabar. Si Noribergensium, si Augustanorum non de grege opificum sed egregia opera: si duo illa nobilissima & omnigenâ rerum varietate affluentia Emporia Francofurtum ad amœnissimū Mœnum, & politissimā Lipsiam intue-

I. C. Paulus
in l. 22. §. 3.
Locat. Vlpianus
in l. 16.
§ 4. De minor.
25. ann.

intue.